



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de
monte Carmelo**

Trithemius, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1643

Cap. X. De primo profectu Ordinis in Europa, & de multiplicatione
Conuentuum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64495)

posito sanctissimæ institutionis cessare, quatenus ad præparata tibi præmia sine fine queas pertingere. Si mater obliuisci poterit dilecti filij sui, te Regina cæli non poterit deserere. Quod si mater obliuiscatur fructus vteri sui, tamen MARIA Virgo tui non obliuiscetur, sed FRATRES suos dilectos custodiet, & gaudiorum suorum participes constituet. Hoc autem a te necessario exigitur, vt Fratres, quos nomine & habitu tuo fouer in gremio, vita & conuersatione immaculatos custodias. Nihil enim prodest Dei Parentis insigniri vocabulo, si contrarijs moribus vitæ conuersatio inquinetur. Igitur vt sub titulo Regina cælorum veraciter fulgeas, ad tria substantialia Religionis obseruanda professores tuos ante omnia dirigas, sine quorum custodia non saluat monastica professio, sed damnat. Dominus tecum est, quamdiu fueris cum eo. Si vero semitas primæ institutionis tuæ contempseris, si vitijs aditum dederis, multis malis & inuicis subiacebis. Eris in derisum omni populo, & qui modo fulges in gloria, sub improprio & ignominia confunderis. Caue itaque, ne primam institutionem transgrediaris, neque neglecto Dei cultu post vanitatem ambules.

*Tria substantialia
vota necessaria
Monacho seruanda.*

CAPVT X.

De primo profectu Ordinis Fratrum in Europa, & de multiplicatione Conuentuum.

IN Euangelio Dominus loquitur: *Nisi granum Iohan. 12.
frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum
solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum
fructum afferet.* Pulchre Fratribus Carmelitis hæc
sententia conuenit, quæ illos granum esse Dei & semen ostendit. Enimvero granum hoc Carmeliticum
germinis in terram cecidit, quando expulsus de
Iudæa fuit. Mortuum autem extitit, quando multis
tribulationibus attritum, suæ transmigrationis incommodum deplorauit. *Multum vero fructum attulit.*

tulit, quando ex amulorum prauitatibus erumpens, per varios in *Europa* Conuentus multiplicatum extitit. Sane fructum multum Carmelitarum affert Religio, quæ sese totam Dei seruitio mancipat, quæ virtutum semitas deuota amplectitur, per cuius exempla multi ad iustitiam conuertuntur.

Vere granum mortuum est Ordo Carmeliticus, qui cadens in Iudæa periit, sed multiplicatus in Europa surrexit. Malleo & incude dilatauit eum Dominus, quia dum de Palæstina minor numero expellitur, crescens in Europa dilatatur.

Nec sine ordinatione diuinæ prouidentia id factum credimus, cum paucos Fratres Ordinis huius in immensum creuisse videamus. Quemadmodum enim pauca segetis semina in terram proiecta mortificantur, & multum fructum afferunt; sic pauci Fratres de *Carmelo* expulsi, & ad tempus in terra peregrinationis afflictæ, maximum in Ordine numerum Fratrum successu temporis protulerunt. Hæc est mutatio dexteræ Excelsi, hæc prouidentia gubernatoris Altissimi, qui ex malis bona nouit elicere, & paucorum calamitatem in gaudium maximum commutare. Sicut enim ferrum malleo extenditur, sic Ordo Fratrum Carmelitarum ferro tribulationis extensus & multiplicatus est. Qui si manere in primo suo nidulo potuisset, non adeo multiplicatus hodie in Ecclesia fidelium esset. Nam post felicem aduentum eorum in Europam, superatisq; auctoritate Apostolica impijs persecutoribus, paulatim valde multiplicati sunt. Videntes enim Nobiles & Fideles conuersationem Fratrum esse sanctissimam, multa illis beneficia contulerunt, & Cœnobîa illis quam plura suis expensis erexerunt.

Hinc factum est, vt Fratres Carmelita, qui pauca in Terra sancta, Cœnobîa amiserant, multo plura in Europa reciperent. Et quemadmodum Apostoli fidem Christi prædicantes de Iudæa expulsi, multitudinem gentium conuerterunt; sic Fratres

Carmelita

Carmelitæ vnus Prouinciæ termino amisso, totius Europæ locum ad mansionem receperunt. Vnius ergo Montis desolatio, multarum Regionum ædificatio fuit. Nequaquam ergo se *Carmelus* vltra plorabit desertum, quem per rotum Orbem iam constat esse diffusum. Multiplicato vero per Europam Fratrum numero, & multis in diuersis locis erectis Conuentibus, cernentes Romani Pontifices vitam eorum esse laudabilem, Ordinem ipsorum priuilegijs multis sublimarunt, eumque ab Ordinariorum iurisdictione penitus eximentes, cæteris Mendicantium Ordinibus adiunxerunt. Et quanquam inter omnes Ordines antiquior sit, tamen in Europa quasi per mortificationem sui renouatus esse videbatur. Sed iam de omni tribulatione sua conualuit, fortis factus in bello, omnes aduersarios suos superauit & confudit. Non est quod sibi amplius noceat, non est qui eum dentibus contingere de cætero præsumat, Dei maxima virtute confirmatum.

Gaude felix plantatio, mundi triumphans illecebras, summa carpens præmia regni, quæ nomen originis tuæ conseruas & imitaris Principes.

CAPVT XI.

Quam utilis & fructuosus sit in Ecclesia Ordo Carmelitarum.

Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis; quam pulchra es & decora in delicijs, ô Religio speciosa CARMELI. Tu hortus aromatum, quem dextera Dei plantauit in monte Carmelo, cuius flores suauissimum odorem reddunt, dum viros doctos protulisti atque sanctissimos. Tu Prophetarum Principem ELIAM habuisti, tu ELISÆVM à mundi negotijs ad obsequium Prophete vocasti, tu VATVM schola, tu norma discipline, & prænũcia monastice vnitatis. Tu sub lege gratiam, sub gratia prædicas pietatem. Vere Dei castra sunt hæc, in quibus vita Apostolica ipsos longe præcellit

Nota prærogatiuas
Ord. Car.

AP0-